

serat; fieri enim potest, ut qui ex altera parte reclamant, assecuti fuerint germanum, aut Scripturae, aut traditionis sensum; ergo &c.

Quaeres 10. *Utrum unanims SS. Patrum in aliquo dogma consensus certissimum et infallibile praebet Theologo argumentum in iis, quae ad fidem et mores spectant?*

*Resp. Affirm.* Quia unanims ille consensus, certissimum est divinae traditionis testimonium; ergo certissimum et irrefragabile subministrat argumentum. *Hinc* 1. Conc. Nicaenum II. anat. 7. ait: *Qui doctrinas SS. Patrum, et traditionem Catholicae Ecclesiae contemnunt, execratio.* Ex quo patet doctrinam SS. Patrum, et Ecclesiae traditionem ita esse connexas, ut qui unam tentaverit labefactare, alterius quoque fidem concutiat, necesse sit. *Hinc* 2. Patres Chalcedonenses in definitione fidei sic clamant: *Haec est fides Patrum, omnes ita credimus.* Unde C. Trid. sess. 4. districte prohibet, *ne quis Scripturam, contra unanimes SS. Patrum sensum, audeat interpretari.*

*Objicies:* Singuli Patres sunt fallibiles; ergo et unanims Patrum consensus.

*Res. Nego conseq.* Etsi enim singuli labi possint, quia homines; omnes tamen simul errare non permittit Deus, quia unanims omnium consensus, est sensus Ecclesiae, ideoque et Spiritus Sancti Ecclesiam per Patres docentis. Unde eorum testimonium non est tunc humanum, cum sit Ecclesiae, et ideo Spiritus Sancti sensus.

Quaeres 11. *Quaenam servandae sunt cautiones in legendis, aut laudandis Patribus?*

*Resp.* 1. Considerandum est, *quo modo* scripserint; nam 1. si modo Theologico scripserunt, rigorosius; si vero modo oratorio, minus rigorose eorum verba sunt accipienda; nam inter concionandum multa ex zelo hyperbolice dixerunt. 2. Si ex professo aliquam quaestionem tractaverint, accuratius locuti sunt.

2. Considerandum est, *quo tempore* scripserint; namque 1. Si ante exortas haereses materiae discussionem, minus accurate, quam postea scripserunt. . . . 2. Si ante Ecclesiae definitionem, potuerunt absque haereseos nota scribere, quae postea ab Ecclesia fuere damnata; et ideo nec Div. Cyprianus, nec alii Africani, re. baptizantium errorem propugnantes, fuerunt haeretici.

3. Considerandum est, *qua aetate* scripserint: quia aetate juniore multa scribuntur, quae aetate senili maturius examinata, vel gravius tractantur, vel omnino retractantur, ut constat ex libris Retractationum D. Augustini.

4. Considerandum est, qua occasione scripserint, saepius namque contigit, ut SS. Patres in refellendis quibusdam haeresibus, usi sint terminis, qui, in specie quidem, oppositis erroribus faverent; sed reipsa et secundum sensum, ab illis omnino different.

5. Cum agitur de aliquo dogmate, olim ab haereticis impugnato, illi Patres prae caeteris sunt consulendi et sequendi, quos ad has haereses debellandas Deus Ecclesiae suae, singulari beneficio, concessit: hinc ubi agitur de Christi divinitate, S. Athanasius; ubi de incarnatione, S. Cyrillus; ubi de praedest. et gratia, S. Augustinus caeteris omnibus sunt praeferendi.

### CAPUT III.

#### De Ecclesia.

Quaeres: **Q**uid sit Ecclesia stricte sumpta?

*Resp.* Est, *coetus hominum viatorum, unius et ejusdem fidei Christianae professione, et eorundem sacramentorum communionem adunatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue Romani Pontificis.* De omnibus quae ad Ecclesiam spectant agemus distinctis paragraphis.

## §. I. De Membris Ecclesiae.

Quaeres 1. *Utrum infideles sint membra Ecclesiae?*  
*Resp. Negat.* Nam eos extra Ecclesiam esse testatur Apostolus 1. Cor. 5. *Quid enim mihi,* ait, *de iis qui foris sunt judicare?*

Quaeres 2. *Utrum Catechumeni sint in Ecclesia?*  
*Resp.* Non sunt. Constat tum ex Ecclesiae definitione; tum quia per solum baptismum homines aggregantur Ecclesiae, juxta illud Act. 2. *Qui receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, et appositae sunt* (utique ad Corpus Christi, quod est Ecclesia) *in illa die animae circiter tria millia.* Ergo licet prius crediderint, non sunt in Ecclesiam appositae, nisi per Baptismum. Hinc C. Florent. ait: *Baptismus vitae spiritualis janua est.*

*Obijcies 1.* Catechumeni possunt salvari; ergo.

*Resp. Nego conseq.* Quia ad hoc ut quis salvetur, non requiritur absolute, ut actu sit in Ecclesia; sed sufficit, ut in ea sit per sincerum cordis desiderium, nec per eum stet, quin in eam actu per Baptismum ingrediatur; taliter autem se habent Catechumeni.

*Obijcies 2.* Catechumeni habent fidem, et charitatem; ergo, &c.

*Resp. Dist. conseq.* Sunt in Ecclesia quoad animam, *conc.* quoad corpus, *nego conseq.* ut ergo quis dicatur esse in Ecclesia, non sufficit, quod habeat esse formale Ecclesiae, sed requiritur praeterea, ut habeat esse materiale, quod quidem positum est in eo quod quis Baptismum actu susceperit.

Quaeres 3. *Utrum soli praedestinati sint membra Ecclesiae?*

*Resp. Negat.* Nam reprobi, qui sub legitimis pastoribus fidem exterius profitentur, sunt membra Ecclesiae, ut constat 1. ex Matth. 3. ubi Ecclesia comparatur

areae, quae habet paleas igni incensibili comburendas. 2. Matth. 22. comparatur convivio nuptiali, in quo erat qui ejectus fuit in tenebras exteriores. 3. Matth. 25. comparatur decem virginibus, inter quas fuerunt quinque fatuae, quibus sponsus dixit: *Nescio vos.*

*Obijcies 1.* Ecclesia comparatur cum Arca Noe; ergo sicut in Arca Noe non fuerunt, nisi qui salvandi erant ex aquis diluvii, ita et in Ecclesia sunt ii tantum qui sunt praedestinati.

*Resp. Dist. ant.* Quoad aliqua, *conc.* quoad omnia, *nego ant.* in eo ergo stat Ecclesiae cum Arca Noe comparatio, 1. Quod sicut in Arca fuerunt animalia munda et immunda, ita et in Ecclesia sunt boni et mali. 2. Quod sicut nemo salvari potuit extra arcam, ita nemo potest extra Ecclesiam salvari; in hoc stat, nec alia quaerenda est similitudo.

*Obijcies 2.* Div. August. saepius docet, reprobos ad Ecclesiam non pertinere; ergo, &c.

*Resp. Dist.* Docet reprobos ad Ecclesiam non pertinere, quoad suum esse finale, quod est status patriae, *conc.* quoad suum esse formale, quod est charitas; vel corporale, quod est coetus hominum viatorum eandem fidem sub legitimis pastoribus profitentium, *nego. D.* ergo August. sumit Ecclesiam secundum suum esse finale.

Quaeres 4. *Utrum soli justi sint membra Ecclesiae?*

*Resp. Negat.* Nam etiam gravissimi peccatores sunt membra Ecclesiae, ut constat 1. Ex figuris Ecclesiae in superiori responsione relatis.... 2. Ex eo quod possint ejici ab Ecclesia Matth. 18 et de facto incestuosus Corinthius de Ecclesia ab Apostolo ejectus est. 1. Cor. 5.... 3. Quia pro peccatoribus specialiter institutum fuit poenitentiae Sacramentum, neque enim Sacramenta nisi pro Ecclesiae membris sunt instituta; ergo.

*Objicies 1.* Peccatores non pertinent ad Christum, juxta illud Rom. 8. *Qui spiritum Christi non habet, non est ejus.* Ergo.

*Resp. Dist. min.* Non pertinent ad Christum, secundum formam, quae est charitas, *conc.* secundum materiam, quae est externa fidei professio, *nego ant.*

*Objicies 2.* Ecclesia est sancta; ergo...

*Resp.* Est sancta ratione praecipuorum ejus membrorum, doctrinae, Sacramentorum, &c. *conc.*; ratione omnium ejus membrorum, *nego ant.* Porro denominatio fit a nobiliori parte.

*Objicies 3.* Impii diabolum habent pro patre, Jonn. 8. *Vos ex patre diabolo estis;* ergo non possunt habere Ecclesiam pro matre.

*Resp. Dis. ant.* Impii habent diabolum pro patre ratione imitationis, *conc.* ratione doctrinae, *nego ant.* Sic enim omnes, qui sunt in Ecclesia, sunt filii Dei et Ecclesiae, cujus doctrinam retinent, tamen possunt esse boni et mali.

*Objicies 4.* D. August. *lib. 5. de Bapt. c. 3.* affirmat malos non pertinere ad Ecclesiam, eo quod Ecclesia sit sine macula et ruga; ergo, &c.

*Resp. Dist. ant.* Ad Ecclesiam triumphantem, *conc.* militantem, *nego ant.* Ita sese explicat D. August. *lib. 2. Retract. cap. 18.*

Quaeres 5. *Utrum haeretici publici et apostatae sint membra Ecclesiae?*

*Resp.* Non sunt; nam Innoc. III. *cap. Firmiter: de summa Trin.* dicit quod Ecclesia sit fidelium coetus et societas; atqui haeretici et apostatae manifesti *circa fidem naufragaverunt*, ut docet Apostolus, 1. *ad Tim.* 1. ergo, &c. Hinc de iis C. Nicaenum I. *can. 8.* dicit: *Si qui voluerint venire ad Ecclesiam Catholicam ex Novatianis* (haeticis publicis), *placuit S. Concilio ut ordinentur, et sic maneant in Clero.* Nemo autem potest venire in Ecclesiam, nisi qui est extra Ecclesiam.

*Objicies 1.* Juxta parabolam zizaniorum, in eodem agro sunt zizania cum bono semine; atqui per agrum intelligitur Ecclesia, per *bonum semen* intelliguntur Catholici, et per *zizania* intelliguntur haeretici; ergo sunt membra Ecclesiae.

*Resp. Nego min.* Nam per agrum, non intelligitur Ecclesia, sed universus mundus, ut semetipsum interpretatur Christus, dicens: *Ager autem est mundus*, in quod haud dubie multi sunt haeretici.

*Objicies 2.* Ecclesia non judicat, nec punit qui sunt extra illam, juxta illud 1. Cor. 5. *Quid mihi de his qui foris sunt judicare?* Atqui Ecclesia judicat et punit haeticos manifestos; ergo &c.

*Resp. Nego maj.* Nam Ecclesia judicat et punit suos desertores, quia ad eam pertinent ratione Baptismi.

*Objicies 3.* Haeretici manifesti, 1. retinent characterem Baptismi; 2. Veros Christi generant filios; 3. Habent vera Sacramenta; ergo.

*Resp. Nego conseq.* Nam 1. character Baptismi non sufficit, ut quis sit in Ecclesia, sed insuper requiritur fidei professio sub legitimis pastoribus... 2. Veros Christo filios generant, non ex Ecclesia sponsa Christi, sed ex Ecclesia ancilla, quae ex Sacramentis a Christo institutis filios Christo generat, non secus ac Ecclesia sponsa Christi... 3. Habent vera Sacramenta, quae non a sua societate, sed a vera Ecclesia acceperunt, quae secum extra Ecclesiam detulerunt, per quae gratiam consequuntur tum infantes, qui haeresi non consentiunt, tum adulti, qui simplici corde veritatem quaerunt, parati ei adhaerere, ubi primum eam cognoverint.

Quaeres 6. *Utrum Schismatici manifesti sint membra Ecclesiae?*

*Resp.* Non sunt: quia Ecclesia est societas membrorum inter se, et cum suo capite; atqui Schismatici pu-

blici non sunt pars illius societatis; Schisma enim scissuram et separationem significat; ergo &c. Hinc est, quod Ecclesia in die Parasceve, Deum roget pro schismaticis, ut eos ad sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam et Apostolicam revocare dignetur.

*Objicies 1.* Schismatici retinent fidem Catholicam; ergo sunt Catholici.

*Resp. Dist. ant.* Retinent fidem Catholicam extra Ecclesiam Catholicam, *conc.*: in Ecclesia Catholica, *nego ant.* Sunt ergo separati ab unitate, et sic extra Ecclesiam, *quamvis ea credant quae credimus*, ait Aug. lib. de Symbolo, cap. 10.

*Objicies 2.* Schismatici, etsi nolint subesse S. Pontifici, servant communionem cum Christo per fidem et subjectionem; ergo sunt in Ecclesia.

*Resp. Nego ant.* Quia non potest subesse Christo qui non vult subesse ejus Vicario.

*Objicies 3.* Qui renuit subesse suo Episcopo, non est extra Ecclesiam, modo velit subesse Romano Pontifici; ergo qui renuit subesse Romano Pontifici, non est extra Ecclesiam, modo velit subesse Christo.

*Resp. Nego ant.* Nam qui a suo Episcopo, summo Pontifici unito et subdito, sese sejungit, ab Ecclesia universali separari necesse est; nam ex D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. *Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiae subjectis communicare recusant.*

*Quaeres 7. Utrum haeretici et schismatici occulti sint membra Ecclesiae?*

*Resp.* Sunt, sed imperfecte tantum, et quantum ad corpus visibile. Hoc probat D. Joannes, *Epist. 1. c. 2.* de iis dicens: *Et nunc Anti-Christi multi facti sunt; ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Ergo sunt in Ecclesia, et non sunt, sunt quoad corpus, nam, *exierunt ex nobis*, non potuissent autem exire de Ecclesia

nisi fuissent in illa. Non sunt in Ecclesia secundum animam, nam *non erant ex nobis*. Postquam D. Augustinus sic interpretatus est hunc textum, concludit sic: *Sunt in corpore Christi quomodo humores mali.*

*Objicies.* Ecclesia definitur *societas fidelium*; atqui haeretici occulti non sunt fideles; ergo...

*Resp. Dist.* Non sunt fideles interius, *conc.*: exterius, quoad professionem fidei, *nego.* Hoc autem sufficit, ut ad Ecclesiae corpus pertineant, ut membra arida et mortua, quae, quandiu non sunt amputata, sunt vera membra.

*Quaeres 8. Utrum excommunicati, excommunicatione majori, sint membra Ecclesiae?*

*Resp.* Non sunt, sive sint tolerati, sive non sint: nam 1. Christus, *Matth. 18.* de excommunicatis dicit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*; atqui ethnici non sunt de Ecclesia.... 2. Apostolus jubens excommunicare incestuosum Corinthium, ait: *Cur non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestri*, id est, ut ejiciatur de medio Ecclesiae, *qui hoc opus fecit?*

*Objicies 1.* Excommunicatio est essentialiter poena medicinalis; atqui non esse talis, si Christianum ab Ecclesia penitus ejiceret; ergo.

*Resp. Dist. min.* Si ejiceret in perpetuum et sine spe reditus, *conc.*: ad tempus, nempe, donec a contumacia recedat, *nego.* Nam Ecclesia, hac medicinali poena, cupit delinquentem humiliari, et humiliatum in suum corpus iterum redire.

*Objicies 2.* Excommunicati tolerati valide Sacramenta administrare possunt, ut constat ex Bulla *Ad evitanda*; ergo non sunt ab Ecclesia penitus exclusi.

*Resp. Dist. conseq.* Non sunt penitus exclusi, quantum ad jurisdictionem, quae ipsis in gratiam fidelium conceditur, *conc.*: quantum ad bonorum communium

participationem, *nego*; hoc enim sensu sunt penitus exclusi.

§. II. De notis Ecclesiae.

Quaeres 1. *Quid sint notae Ecclesiae?*

*Resp.* Sunt certa, atque indubitata quaedam signa sensibilia, per quae vera Christi Ecclesia discerni potest a falsis haereticorum et schismaticorum sectis, quae sese Christianas immerito nuncupant.

Quaeres 2. *Quales debent esse notae verae Ecclesiae?*

*Resp.* Debent esse, 1. *propriae*, ita ut omnes collective sumptae alteri societati convenire non possint, alioquin non possent veram Ecclesiam designare. 2. Debent esse *notiores ipsa Ecclesia*; alioquin non essent verum medium ad demonstrandam veram Ecclesiam. 3. Debent esse sensibiles, ut omnes facile cognoscere possint veram Ecclesiam. 4. Debent esse *inseparabiles a vera Ecclesia*; alioquin certam notitiam parere non possunt.

Quaeres 3. *Quot sint notae verae Ecclesiae?*

*Resp.* Quatuor a Conc. Constantinopolitano recensentur, his verbis: *Credo. . . Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam*, ad quas omnes aliae notae, a diversis auctoribus traditae, facile revocari possunt.

Quaeres 4. *In quibus posita est unitas, quae desideratur in Ecclesia?*

*Resp.* In tribus: nimirum, 1. in ejusdem fidei consensione, nam *unus Deus, una Fides, unum Baptisma*. 2. In eorundem Sacramentorum participatione; unde si plus, aut minus admittantur, quam admittit Ecclesia, non est unitas. 3. In eodem ubique terrarum regimine sub Pastoribus et Apostolis continua successione ordinatis, atque Romano Pontifici subordinatis.

Quaeres 5. *Utrum Ecclesia sit una?*

*Resp. Affirm.* Quia in Scriptura vocatur, *unum corpus*,

Ephes. 4. *unum ovile*, Joan. 10. *una sponsa sub unius columbae figura, una est columba mea. . .* Hinc Patres comparant Ecclesiam cum Arca Noe, cum veste Christi inconsutili, cum domo, in qua Agnus Paschalis comedebatur: atqui una fuit Arca Noe, una vestis Christi, una domus, &c.

*Resolves:* Extra Ecclesiam, cum sit una, neminem posse salvari; unde de haereticis et schismaticis D. Cyprian. *Epist.* 62. *ad Pomponium*, ait: *Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse, nisi in Ecclesia, possit.*

Quaeres 6. *Quodnam est centrum unitatis Ecclesiae?*

*Resp.* Est Sedes Romana: quia jure divino habet primatum in universa Ecclesia; unde S. Irenaeus, *l. adversus haereses*, c. 3. ait: *Ad hanc Ecclesiam Romanam, propter potiore principalem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles.*

Quaeres 7. *Utrum Ecclesia Romana sit sancta?*

*Resp. Affirm.* Nam sanctitas, quae verae Ecclesiae est nota, in tribus potissimum posita est: nempe, 1. in sanctitate fundatorum. 2. In sanctitate doctrinae et professionis. 3. In sanctitate praecipuorum membrorum; atqui Ecclesia Romana 1. pro fundatoribus agnoscit viros sanctitate insignes, nimirum Apostolos, et Apostolicos viros, qui miraculis et sanctitate clari, martyrium pro Christo et Ecclesia subierunt. 2. Fidem sanctam, hoc est, integram, et sanctas morum regulas profitetur. 3. Praecipua ejus membra sunt sancta, in illis nimirum regnat charitas illa, quae diffusa est in cordibus eorum per Spiritum Sanctum qui datus est nobis; ergo.

*Objicies:* Ecclesia Romana identidem indiget reformatione; ergo non est sancta.

*Resp. Dist.* Indiget reformatione quoad disciplinam, quae saepius in non paucis languescit, *conc.* quoad

fidem et mores; *nego*: nam Ecclesia Romana semper retinuit doctrinam, quam ab Apostolis recepit.

Quaeres 8. *Vera Ecclesia Christi estne Catholica?*

*Resp. Affirm.* Est enim per totum orbem diffusa. Unde D. Aug. *lib. de vera Relig. cap. 7.* sic loquitur: *Tenenda est nobis Christiana Religio, et ejus Ecclesiae communicatio, quae Catholica est, et Catholica nominatur.*

Quaeres 9. *Cuinam Ecclesiae convenit Catholicae nomen?*

*Resp.* Soli Ecclesiae Romanae: quia sola Ecclesia Romana per totum orbem est diffusa, eminet enim in Europa, Asia, Africa, et America; ergo.

*Objicies:* Multae sunt orbis Provinciae, in quibus Ecclesia Romana non reperitur; ergo non est ubique diffusa.

*Resp. Dist. conseq.* Non est ubique diffusa physice, *conc.* naturaliter, *nego.* Porro ad Ecclesiae catholicitatem, sufficit diffusio moralis, quae in hoc consistit, ut Ecclesia, quae dicitur Catholica, in praecipuis orbis partibus ita emineat, ut diffusior sit qualibet alia secta seorsim sumpta, nec sicut sectae particulares quibusdam provinciis, aut regnis coarctetur, talis est autem sola Ecclesia Romana: ergo.

Quaeres 10. *Utrum vera Christi Ecclesia sit Apostolica?*

*Resp. Affirm.* Quia docet doctrinam ab Apostolis tum scripto, tum viva voce traditam: atque regitur a successoribus Apostolorum; ergo.

Quaeres 11. *Quaenam Ecclesia sit Apostolica?*

*Resp.* Sola Romana Ecclesia: nam 1. Ipsa sola est, quae profitetur doctrinam quam Apostoli tradiderunt: nec enim ullus Ecclesiae Romanae novitatem in aliquo dogmate potest objicere; cum omnium suorum dogmatum antiquitatem, legitima praescriptione demonstret: cum e contra sectae haereticorum novitatis in doctrina

facili negotio convincantur ab Ecclesia Romana, quae evidenter probat, a quibus, quo tempore, in quo loco, falsa eorum dogmata invecta fuerunt.

2. Sola est, quae est Apostolica secundum auctoritatem: sola enim est, cujus Pastores successione non interrupta ab Apostolis, immediate, vel mediate ordinati et missi fuerunt; unde D. Augustin. *lib. contra Epist. fundam. cap. 4.* ait: *Tenet me in Ecclesia Catholica ab ipsa Sede Petri Apostoli. . . usque ad praesentem Episcopatum, successio Sacerdotum.* Cum e contra aliarum societatum ministri ostendere non possint quibus successerint, de quibus D. Cyprian. *lib. de unit. Eccles.* dicit: *Hi sunt qui se praepositos, sine ulla ordinationis lege, constituunt, qui nemine Episcoporum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.*

*Objicies:* Auctores Ecclesiarum reformatarum habuerunt missionem extraordinariam, qua a Deo immediate auctoritatem acceperunt reformandi Ecclesiam: ergo Ecclesiae reformatae sunt Apostolicae.

*Resp. Nego ant.* Nam missio extraordinaria, si quae foret, miraculis confirmari deberet, ut suam Apostoli et Christus ipse confirmarunt; atqui Auctores Ecclesiarum pseudo-reformatarum, nullis miraculis se a Deo extraordinarie ad reformandam Ecclesiam missos probarunt; ergo.

*Inst.* Rapidissima tot populorum conversio, qui intra brevissimum tempus reformationem amplexi sunt, est maximum miraculum, ergo.

*Resp. Nego ant.* Neque enim opus est miraculo, ut quis, relicto austeriore vivendi modo, amplectatur eum qui omnibus cupiditatibus favet, quique vi et armis propugnatus est. E contra maximum esse miraculum, quod tota Christianitas ad Calvinismum et Lutheranismum non defecerit, nemo non videt.

## §. III. De proprietatibus Ecclesiae.

Quaeres 1. *Utrum vera Ecclesia sit visibilis?* hoc sensu quod inter alias sectas per totum orbem singulari quadam ac eminenti perspicuitate omnium oculis prae-fulgeat?

*Res. Affirm. et prob. 1.* Ex figuris quibus Ecclesia comparatur: nempe, *Math. 5.* comparatur civitati supra montem positae; *Psalm. 18.* comparatur soli: *Marci 4.* comparatur lucernae in candelabro positae; atqui omnes illae figurae, sunt visibiles; ergo. . . . *Prob. 2.* Quia Ecclesia debet regi ab episcopis. Si quis per schisma aut haeresim ab Ecclesia discesserit, ad ipsam redire tenetur; atqui neutrum fieri potest, si Ecclesia non sit visibilis; ergo, &c.

*Objicies 1.* Ecclesia creditur; ergo non est visibilis. . . . *Resp.* in Ecclesia unum videtur, nempe coetus hominum Christi fidem sub legitimis Pastoribus profitentium: et aliud creditur, nempe illum coetum esse veram Christi Ecclesiam.

*Objicies 2.* Apostolus, *Hebr. 12.* scribit Ecclesiam non esse montem tractabilem; ergo, &c. . . . *2. Resp.* Apostolus loquitur de Ecclesia in coelis triumphante: unde subdit: *Et millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in coelis.*

Quaeres 2. *Utrum Ecclesia visibilis sit indefectibilis?*

*Resp. Affirm.* Nam 1. dicitur civitas, quam *Deus fundavit in aeternum.* *Psalm. 74.* . . . *2.* Dicitur Regnum quod in aeternum non dissipabitur. *Daniel. 2.* Tandem, *Math. 16.* Christus dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam; praevalerent autem, si posset deficere: ergo.* Hinc *Aug. contra Donatistas*, qui hoc dogma negabant, ait: *Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedit quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus saeculi finis.*

*Objicies 1.* Ecclesia defecit tempore Eliae, qui 3. *Reg. 19.* ait: *Dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt. . . . derelictus sum ego solus.*

*Resp. Nego ant.* Nam Eliae querenti, *Derelictus sum ego solus*, respondit Deus: *Derelinquam septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Praeterea tempore schismatis decem tribuum remanserunt fideles Domino tribus Juda et Benjamin, quibus se adjunxit integra tribus Levi, in quibus visibiliter remansit vera Dei Ecclesia.

*Objicies 2.* Tempore Arianorum visibiliter defecit Ecclesia. *Tunc.* ait D. Hieron dialogo contra Luciferianos, *Nicaenae fidei damnatio conclamata est.*

*Resp.* Conclamata est, non quidem a Patribus Concilii Ariminensi, sed a Valente et Ursacio Episcopis Arianis, qui post dissolutionem Concilii *coeperunt palmas suas jactare dicentes, se filium non creaturam negasse, sed similem caeteris creaturis.*

*Inst.* Addit D. Hieron. *Ingemuit totus orbis et Arianum se esse miratus est.* Ergo, &c. . . . *Resp.* Miratus est se esse Arianum apparenter, *conc.* in rei veritate, *nego.* Nam Patres Ariminenses, non nisi Arianorum dolis decepti, consenserunt suppressioni vocis, *omnibus rati nihil periculi esse, nec curandum de vocabulo, cum sensus esset, in tuto,* ait D. Hieron. et ideo detectis Arianorum fraudibus, reclamarunt, dicentes: *Putavimus sensum congruere cum verbis. . . . decepit nos bona de malis existimatio, &c.* ita refert D. Hieron.

*Objicies 3.* Apostolus 2. ad Thessal. 2. praedixit generalem apostasiam futuram in Ecclesia tempore Antichristi; ergo. . . . *Resp. nego.* Nam *Math. 24.* dicitur: *Propter electos breviabuntur dies illi.* Ergo erunt tunc veri Dei cultores.

Quaeres 3. *Quinam est supremus controversiarum fidei Judex?*

*Resp.* Est sola Ecclesia docens; id est, corpus Epi-

scoporum Romano Pontifici adhaerentium. His enim, et non aliis, dictum est: *Euntes, docete omnes gentes*, Matth. ult. his, et non aliis Christus promisit specialem assistentiam ad recte docendum, dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*. . . . Hinc Apostoli constanter affirmant sibi ita commissum esse Evangelium, ut non nisi ab ipsis quaerendum sit: *Probati sumus a Deo, ut nobis crederetur Evangelium*, ait Apost. 1. Thessalon.

Quaeres 4. *Utrum Ecclesia, per totum orbem dispersa sit infallibilis in definiendis fidei et morum controversiis?*

*Resp. Affirm.* Quia hanc infallibilitatem Christus Ecclesiae promisit, 1. Quando Matth. 16 dixit: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam*. Atqui si non esset infallibilis, portae inferi praevalerent adversus eam. . . . 2. Quando Matth. ult. dixit: *Ite, docete omnes gentes. . . . docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*. Ergo Ecclesiae Pastoribus promisit specialem, ac perpetuam assistentiam, ne quid falsum docerent; ergo.

*Objicies:* Singuli Episcopi, seorsim sumpti, sunt fallibiles, ergo et omnes simul sumpti; nam valet illatio a sensu distributivo ad collectivum. . . . *Resp. Dist.* Valet illatio a distributivo ad collectivum, quando collectio non plus habet, quam distributio, *conc.* quando collectio aliquid habet, saltem ab extrinseco, quod non habet distributio, *nego*. Porro, Christus infallibilitatem promisit collectioni Episcoporum, non singulis Episcopis seorsim sumptis.

Quaeres 5. *Utrum Ecclesiae iudicium, de sensu librorum et propositionum definiens, sit infallibile?*

*Resp. Affirm.* Nam Ecclesia est infallibilis in his quae ad fidem pertinent, ut fide constat; atqui iudicium de sensu orthodoxo vel heterodoxo librorum, ad fidem

pertinet; ergo. *Prob. min.* Tum ex D. Leone, qui in sua ad Synodum Chalcedonensem Epistola, asserit: *Pertinere ad puritatem fidei atque doctrinae, damnare haereses cum suis auctoribus*. Tum quia sine infallibili Ecclesiae iudicio de sensu librorum, fides illibata custodiri non potest, nec defendi: (cum sine eo, nec SS. Patrum libros in quibus fides traditur, approbare; nec haeticorum scripta, in quibus evertitur, reprobare possit) ergo cum sit de munere Ecclesiae, fidem custodire illibatam, eamque contra omnes novitates defendere, ejus de sensu librorum iudicium pertinet ad fidem. . . . Hinc Concilium generale V. tria capitula sub anathematis poena damnans, declarat se ea damnare virtute horum verborum: *Portae inferi non praevalent adversus eam, et sponsabo te mihi in fide*. Quibus Christus promisit Ecclesiae infallibilem in rebus religionis auctoritatem.

*Objicies:* Quaestio de sensu librorum est quaestio facti; atqui Ecclesia non est infallibilis in quaestionibus facti; ergo.

*Resp. Dist. maj.* Est quaestio facti dogmatici, id est, facti dogmate permixti, *conc.* facti particularis, seu personalis; *nego maj.* atqui Ecclesia non est infallibilis in quaestionibus facti particularis, *conc.* pendet enim a testimonio hominum fallaci. In quaestionibus facti dogmatici, *nego min.* iudicium enim Ecclesiae de facto dogmatico, non pendet ex testimoniis hominum, sed ex collatione doctrinae in libris contentae cum Scriptura et traditione, quae sunt certae fidei regulae.

*Inst.* Multi Episcopi diu V. Concilio resisterunt, et damnationem trium capitulorum rejecerunt; ergo senserunt iudicium Ecclesiae de factis dogmaticis non esse infallibile.

*Resp. Dist. ant.* Damnationem trium capitulorum rejecerunt, eo quod crederent Ecclesiam falli posse in suo de textibus dogmaticis iudicio; *nego ant.* eo quod falso et ex errore crediderint tria capitula in Concilio



Chalcedonensi approbata fuisse, et Concilium V. non esse generale, *conc. antec.* unde illi Episcopi tanquam schismatici habiti sunt ab Ecclesia, nec ad ejus communionem fuerunt admissi, nisi postquam tria capitula damnarunt, et Concil. V. ut legitimum et generale susceperunt.

## CAPUT IV.

## De Romano Pontifice.

Quaeres 1. **U**trum D. Petrus acceperit a Christo primatum in universa Ecclesia?

*Resp.* Accepit, non solum supra fideles, et supra alios Apostolos. Nam 1. Constitutus est fundamentum Ecclesiae, Matth. 16. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* . . . 2. Accepit claves regni coelorum: *Tibi dabo claves regni coelorum,* ibidem: nomine autem clavium intelligitur primatus et suprema potestas. . . . 3. Constitutus est Pastor, non solum fidelium, sed et omnium Pastorum: Joan. 21. *Pasce agnos meos,* id est, fideles: *pasce oves meas,* id est, Pastores.; ergo, &c. Quare D. Hieron. l. 1. ad *Jovinian.* ait: *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio.*

Quaeres 2. *Quinam D. Petro succedit in universali primatu Ecclesiae?*

*Resp.* Romanus Pontifex; quia tenet Cathedram in qua Petrus sedit et mortuus est, ut testantur Eusebius in chronico annorum 44. et 71. D. Hieron. de viris illustribus in Petro, Paulus Orosius, l. 7. *histor. c. 6.* et alii omnes scriptores Ecclesiastici fide dignissimi. . . . Hoc dogma de fide definitum est in Concilio Nicaeno. I. can. 6. *Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Chalced. Act. 16. Patres clamant: *Per-*

## de Prolegomenis.

*pendimus omnem quidem primatum et honorem praecipuum secundum Canones antiquae Romae Dei amatissimo Archiepiscopo conservari.* Florentino, in quo sic definitur sess. 6. *Definimus sanctam Apostolicam sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem, successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi B. Petro pascendi, et gubernandi universam Ecclesiam a Domino nostro J. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum, et in sacris canonibus continetur.*

Hinc Clerus Gallicanus in comitiis generalibus anni 1681. hanc de Rom. Pontifice edit declarationem: *Caput est Ecclesiae, centrum unitatis: obtinet ille in nos primatum auctoritatis et jurisdictionis sibi a Christo Jesu in persona Sancti Petri collatum: qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus, imò et haereticus esse.*

*Objicies 1.* Primatus totius Ecclesiae fuit privilegium personale Petri; ergo non transit ad ejus successores.

*Resp. Dist. ant.* Fuit privilegium personale Petri cum potestate, ipsi a Cristo facta, illud alligandi ad aliquem determinatum locum, *conc.*: sine tali potestate, *nego.* Itaque primatus Petro primum collatus est sine alligatione ad aliquem locum, sed cum potestate illum postea sic ad aliquem locum particularem alligandi; et cum Petrus, ex speciali Dei inspiratione et jussu, sedem Romae ultimo fixerit, illiusque Episcopus mortuus fuerit, inde factum est, ut Romanus Episcopus succedat Petro in omni potestate quam Petrus pro se, et pro suis successoribus, a Christo accepit.

*Objicies 2.* Ex facto Petri sedem Romae figentis ortum est, quod Romanus Episcopus, potius quam al-

ter, succedat Petro in primatu totius Ecclesiae; ergo jure humano, non divino, succedit in primatu.

*Resp. Dist. ant.* Ut succedat in primatu, quoad ordinem successionis, conced. quoad ipsam successionem, nego *ant.* nam ut observat Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontifice, cap. 12. *Aliud est successio, alius ordo successionis; nam successio Rom. Pontificis in Pontificatum Petri ex instituto Christi est; ratio autem successionis, qua Rom. Pontifex, potius quam Antiochenus, aut aliquis alius, succedat, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere, sicut fecit quinque primis annis, et tunc moriente Petro, non Episcopus Romanus, neque Antiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset, potuisset quoque semper manere Antiochiae, et tunc Antiochenus sine dubio successisset; quia vero Romae sedem fixit et tenuit usque ad mortem, inde factum est, ut Rom. Pontifex ei succedat.*

*Inst.* Primatus a canonibus Rom. Pontifici est delatus, nam sic ait can. 28. Concilii Chalced. *Antiquae Romae throno, quod Urbs illa imperaret, jure Patres privilegia contulerunt.* Ergo jure humano primatus competit Rom. Pontifici.

*Resp. Nego ant.* Conc. enim Chalcedonense nullum novum privilegium Rom. Pontifici tribuit, sed privilegia ei a Christo collata declaravit et definiuit, quomodo Conc. Nicaenum definiuit Christum esse consubstantialem Patri, ut docet D. Thom. opusculo contra impugnantes religionem: *Ecclesia Romana nullis Synodis constitutis caeteris Ecclesiis praelata est, sed Evangelica voce Domini et Salvatoris nostri, primatum obtinuit.*

## CAPUT V.

## De Conciliis in genere et in particulari.

## §. I. De Conciliis in genere.

Quaeres 1. *Quid est Concilium?*

*Resp.* Definitur; *Congregatio Praelatorum Ecclesiae legitima auctoritate convocatorum, ad tractandum de rebus Ecclesiae gravioribus, quales sunt res fidei, morum, et disciplinae.*

Quaeres 2. *Quos sunt Conciliorum genera?*

*Resp.* Quattuor, generale, nimirum, quod universam repraesentat Ecclesiam, et quod oecumenicum vocatur, quando convocatione, celebratione, et exitu legitimum est; *Nationale*, quod regni alicujus; *Provinciale*, quod alicujus Provinciae; et *Dioecesanum*, quod cujusdam Dioecesis particularis repraesentat Ecclesiam.

Quaeres 3. *Cujusnam est Concilium generale convocare?*

*Resp.* Est summi Pontificis, cui soli competit potestas ordinaria convocandi Concilia generalia. Ita ut nisi Concilium ab ipso, vel ab alio de ejus consensu et auctoritate convocetur; aut saltem nisi convocatio, ab alio facta, ab ipso rata habeatur, non possit esse Concilium generale et oecumenicum. . . . *Ratio est*, quia solus est universalis Ecclesiae caput, Pastor et Princeps, cui soli dictum est Joan. 21. *Pasce oves meas.* Haec veritas in Concil. Nicaeno I. *can. 1.* definita est his verbis: *Non debent praeter sententiam Rom. Pontificis Concilia celebrari.*

*Objicies 1.* Octo priora Concilia generalia, non a Rom. Pontificibus, sed ab Imperatoribus fuerunt con-